

vt potius promoueant ac inuitent. Suffitus ipsi respec-
tue, v. g. ex musco terrestri clauato, magis profuerint,
quam fofus illi.

Extergunt sicca quoque, vt *saccharum Canariense*,
quod in vlcusculis, vt & puluis *perlarum* subtilior, est
probatissimum, simul vero extergit insigniter. Alias
vero pulueres in genere minus oculis fauent insperfi,
hac sua forma relictii. Ex vnguinosi huc facit *saccha-
rum Canariense* cum butyro majali: item unguenta oph-
thalmica *Plateri*, *Mynsichti*, de nihilo officinar. &c. can-
this oculorum illita, sed recentia.

II. *Spirituum impuritas & debilitas corrigenda, lumino-
sitas procuranda, & tutanda est.*

Corrigunt discutientia interna cephalica, modo
temperata, quando acrimonia est maior, vbi lymphæ
motus potius refrenandus, ex *coralliis*, *perlis*, *cinnabari-
natiua*, diaphoreticis, *spec. diamargar. frigid. iulepis*,
emulsionibus, *acidulis*, *antimonio martiali cachectico*, ali-
isque seri correctoriis; &c. modo calida, ex *maro* vero,
euphrasia, *nepeta*, *fumaria*, *radice valeriane*, *helenii*,
feminibus 4. carminatiuis, *sapphir. occid. ppt.* aliisque ce-
phalicis, in infuso, in electuario, puluere &c. adhibita.

Audiunt hæc non immerito *ὄξυδεξιὰ*, *visum acu-
entia*, quatenus duobus modis visum acuunt, spiritibus
suggerendo robur, & lympham corrigendo. Neces-
sum vero & in his distinctione est, vt calidis minus vta-
mur, præsentente intemperie calida, cum acrimonia, cum
materia, tunc enim potius fluxum augent, vnde & di-
stinguenda sunt merito temperamenta, & circumstantiæ
mali productiualia.

Sic